D. Heinsio.

2a

Doctissime Domine. (38)

Non expecto tandem tum defluat amnis, et ille crapulam suam dormierit, vel indomitum fortasse Falernum despumaverit quisquis est hominum perfidissimus, qui primas meas tradere tibi neglexit. Nimirum si aliquando ad se redierit. jam duplicis molestiae periculum adis. At verò nimium benigne de humanitate tuâ et sentire hactenus, et sperare jussi sumus quam ut his importuni esse vereamur, apud quem toties impunè tulimus. Ad rem quod attinet, et omissa illius argumentum, si fortè (quod auguror) nunquam illa te visura sit. Satyram scripseram. Rem ridiculam inquies a tali calamo. At Satyram tamen: et quidem ut partim a convivio Nuptiali, partim a lectione Juvenalis, Horatii et similium recenter incaluerant, argumento non adeò a veritate remoto, quam fortasse apud saeculum invido. Tanti non est ut verborum phaleris adornem, breviter scito Thesin fuisse τὸ Copia finit Amorem: Magistri Amorum et multò ante quam unquam ille aut in mentem aut in manum venerat (ausim gloriari habuisse ne hactenus immunem ac virginem a talium studio juventutem) foetum animum hoc dogmate gestasse, ac tandem obstetricante experientia, et veteranorum aliquot assensu in luminis oras produxisse. Sed addo, quod et in prioribus meis meminisse memini, magis aliquanto Satyra scribendae prurigine, quam veritatis asserendae scopo. Sicut illi, qui tentandis viribus ad propositam metam currunt non quò illum attingant, sed quo currant. Quâ praefatione veniam ab aequitate tuâ Misogamo meo praestruo si fortè minus ex animi tui sententia locutus fuero, dum conditionem improbare velle videor cui te pridem cum bono Deo feliciter addixisti. Quanquam sanè, qui tuus est candor, etiam si seriò hic Satyrum agam, non subtimesco quidem ne succenseas, quod albo mihi placeant, cum fortè te nigris oblectere. Verus est illud et verum. Quot homines tot sententiae, et meo judicio summum naturae decus, Diversitas, sed non sum ubi philosophciv me decoat. Redeo ad abortum meum, quem ita censurae tuae subjicio, ut et humanitati commendatum cupiam, imprimis verò indicare te nobis, quid hoc in genere praestitisse videamur, praesertim alias, quae aliquando tecum communicavimus. Nisi otium defuisset exscribendis istis, habuisses alterum exemplar in locum amissi. Nunc Itinerarium nostrum, cui Satyram subjunxi, totum ad te mitto. Si quot bonas horas male perdendas

pertendas habes, poteris et huic deambulationi paulis per insistere, et si tanti est, expendere quibus curis aestatem istam impenderimus. Fallor, nisi aliquia ~~occurrent~~ passim occurrent quae te capiant, et rerum exoticarum salivam moveant. Sic audacter apud te auguror ex judicio summorum virorum Reipublicae nostrae, apud quos opellum illud nostrum in pretio haud vulgari fuisse, modestiae glorior. Te moneo, ne quid hic tersi aut politi requiras, sed eredem raptim ista mihi, ne dicam furtim, quoties nimirum a turba subducere me potui, in Codicem redacta esse. sed fidem si spectas, tali ut qui summam hic personam sustinuit Nob: Dominus Herssenius in suam, omne id recipere dignatus sit. Vale Vir Magne, et si prolixitatem istam incusas, prolixam in te voluntatem, et nimis propensum animum affectum excusa, quo confabulari tecum coepisse me vix sciebam, cum jam desinendum esset. Iterum vale atque iterum Athenei nostri praesidium ac decus, et nos ama. Hagae Comitis 8°. Id: Octob: 1620.

T. D: Amantissimus

G: Hugenius.

Libellum istum ubi perlegeris, rogo, quamprimum remittas, viâ quantum potest securiori, quae ut opinor nautarum est. Si Parentem meum nosti, et illum boni Senis affectum, quo et liberos, et eorum qualiacunque persequitur, facile ignosces. sollicitudini nostrae circa has tricas.

(36).

D: Heinsio.

Fallor amplissime Domine, nisi ante discessum in Italiam de Epitaphio Mausoleo Delphensi inscribendo tecum vel coram vel litteris egi. Nondum adeo hac molestia perfunctus sum, quin et reducem exceperant reliquiae. Illustrissimus Princeps (quo jubente hac dirigente, primum illud conamen radendo, poliendo, interpolando, eò tandem perduximus, uti supremum Placet mernisse videretur) totius denique rei curam Parenti meo discedens mandavit. atq, ultimum exemplar Potentissimis Ordinibus Generalibus exhibere jussit. Hic Hollandiae delegati negotium suo examine dignum, praeter alias provincias censuere, ut quorum praecipuâ curâ atque impensis haec fabrica constaret. Cum itaque eorum promovendi Judicii causâ convenissemus, judicavere tandem ad Curatores et Senatum Academicum omnem causam devolutam esse. De Curatoribus autem aliud heri ex D: Honardo didici, qui